

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 236

Mundi termino adpropinquante, malis crebrescentibus, petierunt Deurhoiarn et uxor sua Roiantken Sanctum Maxentium, in festiuitate apostolorum Petri et Pauli, .III. kalendas iul., I. .XXII., regnante Pasuueten et Uuorhuuant Britanniam, monachos rogauerunt ostendere sibi ubi corpora eorum requiescerent post obitus illorum; et ostendit abbas Liosic, cum monachis suis, locum corporum eorum in vestibulo Sancti Maccentii; et postea simul perrexerunt ad Sanctum Maxentium, et posuerunt suam manicam super altare, et dedit Deurhoiarn Aethuric Freoc, clericus, in dono corporis sui, et uxor eius Roiantken dedit Aethurec Milcondoes, in Alcam, quam dedit illi Riuualt in enepuert, in dono corporis sui, Sancto Maccentio in honore Salvatoris atque monachis in illo loco Deo seruientibus; et postea defunctus est Deurhoiarn, .II. idus ianuarii, luna .XI., et filius eius Iarnuuoccon et uxor sua Roiantken detulerunt corpus simul cum omnibus, et invitauerunt monachos obviam sibi in via accipere corpus; et cito ut adierunt, monachi exierunt obviam corpori cum reliquis suis, et simul detulerunt corpus ad monasterium Sancti Maxentii, et sepelierunt eum secundum dignitatem, ut moris est christianorum. Et postea invitavit filius eius Iarnliuoccon, una cum matre sua et cum multis nobilibus hominum, abbatem Liosic nomine, cum suis monachis, in quadam exhedra iuxta basilicam Sancti Maccentii, et illas donationes quas dederunt pater, matre vivente, in dono corporum suorum, firmavit, coram multis testis, hii sunt: Ratfred, testis; Inhoc, testis; Maenuuallon, testis; Nominoe, testis; Catuueten, testis; Uuoetual, testis; Iedicahel, testis; Euuen, testis; Uuinkalon, testis; Riscaham, testis; Uuorlouuen, presbyter, testis; Finithic, presbyter, testis; Scuban, presbyter, testis; Marcoc, testis; Iacu, testis; Seder, testis; Iarnnuoret, testis; et cito Roiantken defuncta est post virum, et sic monachi fecerunt illi sicut viro suo, iuxta illum sepelierunt illam cum magno honore; et venit Iarnuuoccon filius eius, in prima dominica post sepulturam eius, visitare sepulcra patrum suorum; et post missam invocavit abbas Liosic cum suis monachis, adstetit inter templum et altare, posuit manicam suam super altare et dixit: Villam Eneuuor do Maccentii et monachis, pro anima matris meae, in hereditate perpetua, in honore Salvatoris; et postea, in die domini eo, venit Iarnuuoccon visitare sepulcra patrum suorum, et post missam perrexit, stantibus monachis, presente populo, dedit partem Ketbic Sancto Maccentio et heres illius Suluuocion nomine, pro animabus patrum suorum, coram multis testibus: Iarnuuoccon, testis, qui dedit hanc donationem; Uuincalon, testis; Bleidbara, testis; Comhael, testis; Arbidoe, testis; Conglas, testis; Katic, testis; Suluuocion, testis; Tanetuuotal, testis; Idon, testis; Tutuuoret, testis; Loiesuuoret, testis; Uurliuuet, testis; Tanetlouuen, presbyter. Ista donatio fuit .II. idus maii, luna .VIII.